Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Ait. Ego uox clamantis in deserto. Esayas
illud dixit. In iohe. prophetia ista esaye im
pleta est. Ego uox clamantis in deserto. Quid
clamantis. Dirigite uiam domini. rectas fa
cite semitas dei nostri. Non nobis uidetur pre
conem dicere. exite. facite uiam. nisi quod preco
exite dicit. iohs uenite. A iudice repellit
preco. ad iudicem uocat iohs. immo uocat
iohs ad humilem. ne iudex sentiatur excel
sus. Ego uox clamantis in deserto. dirigi
te uiam domini sicut dixit ysaias propheta. Non dixit
ego sum iohs. ego sum helyas. ego sum propheta.
Sed quid dixit. Hoc uocor. uox clamantis
in deserto. dirigite uiam domino. ego sum ipsa
prophetia. Et qui missi fuerant. ex phariseis
erant. i. ex principibus iudeorum. Et interroga
uerunt eum. et dixerunt. Quid ergo baptizas si tu non es
christus. neque helias. neque propheta. Quasi audacie
uidebatur esse baptizare quasi in aqua. Perso
nam querimus utrum tu sis. et tu dicis te non esse.
Querimus te ne forte precursor illius sis. quia
nouimus ante aduentum christi uenturum esse
heliam, negas te esse. Querimus ne forte
aliquis uultum preueniens preco es. i. propheta.
et accepisti hanc potestatem. Nec propheta
iohs. maior erat quam propheta. Dominus de illo
tale testimonium dedit. Quid existis uidere
in deserto. Arundinem auento agitatam.
Subaudis quia non hoc erat iohs. quasi auen
to mouetur. Qui enim uento mouentur. cir
cumflantur omni seductorio. Sed quid existis
uidere. Hominem mollibus uestitum. Vestiebatur

enim iohs asperis. i. tunica facta de pilis
camelorum. Ecce qui mollibus uestiuntur. in do
mibus regum sunt. Non ergo existis uidere hominem
mollibus uestitum. Sed quid existis uidere. Propheta.
Ita dico uobis. maior quam propheta hic. quia pro
phete longe prenuntiauerunt. iohs presentem
demonstrabat. Quid ergo baptizas si tu non es christus.
neque helyas. neque propheta. Respondit
eis iohs et dixit. Ego baptizo in aqua. me
dius autem stetit quem uos nescitis. Humilis
enim non uidebatur. et propterea lucerna accensa est.
Videte quomodo dat locum. quia aliud posse pu
tari. Ipse est qui post me uenit, qui ante me factus
est. sicut iam diximus. i. ante positus est mihi. cuius
ego non sum dignus ut soluam corrigiam calci
amenti eius. Quantum se abiecit. et ideo mul
tum eleuatus est. quomodo qui se humiliat exalta
bitur. Vnde debet uidere sanctitas uestra. quia
si sic iohs se humiliauit. ut diceret non sum dig
nus soluere corrigiam. quomodo habent humi
liari qui dicunt. nos baptizamus. nos
quod damus. et quod nostrum est sanctum est. Ille dicit non
ego. sed ille. illi dicunt nos. Non est dignus iohs
soluere corrigiam calciamenti eius. Quod si di
ceret se dignum esse. quam humilis esset. Si
dignum se diceret. et sic diceret. ille uenit
post me qui ante me factus est. cuius tantummodo
corrigiam calciamenti dignus sum soluere.
multum se humiliasset. Quando autem
nec ad hoc dignum se dicit. uere plenus
spiritu sancto erat. qui sic seruus dominum agno
uit. et ex seruo amicus fieri uoluit. Hec